

si limites ejus transgredenterur, excommunicationem incurrent; item et sacerdotes, si ex hoc spatio in loca regularia penetrarentur.

19º Nullibi invenimus statutum quid præcise requiratur ut loca sint stricte regularia: certum est clausuram debere esse talem ut nec sacerdotes nec moniales eam sine scalis alias instrumentis transgredi possint. Unde non sufficeret fossa, rivulus, sepes, etc. Communiter erigitur murus quindecim pedibus supra solum elevatus, cum portis conventionalibus bene clavis sera cujus clavis apud abbatissam vel superiorissam deponitur: nullæ debent esse fenestrae juxta sacerdotalia loca, aut ita sint dispositæ ut per illas transire non licet.

20º In fundatione monasterii assignantur loca quæ reputantur regularia, eo sensu quod moniales inde exire nequeant, licet sacerdotalibus non prohibeantur donec stricta existat clausura. Melius tamen esset ea palis, sepe vel saltem fossa circumcludere, donec murus extruatur, quam relinquare patentia. Episcopi est vel superioris ab eo delegati hæc omnia determinare.

*Nota.* Cum actualis monialium status in Gallia non sit perfectus, ob facultatem hæreditates percipiendi, qua legaliter exui non possunt, sequitur earum monasteria canonis legibus circa clausuram et poenis decretis stricte non subjici; sed ordinarii locorum easdem leges et poenas sua episcopali auctoritate renovare possunt, et expedit ut faciant. Eo sensu respondit sacra Poenitentiaria die 23 januarii 1821, ad canonicum Nannensem. Saltem videtur legem clausuræ in his monasteriis in quibus vi constitutionum existere debet, abjici non posse sine culpa ex genere suo gravi, quia sic videtur communiter apprehendi, et superiores ac præsertim episcopi sic obligare velle censentur in hac observantia, quæ ut summe necessaria semper habita fuit. Cunctas clausuræ leges, stricte servari volumus in monasteriis diœcesis nostræ, et ad id in vigilamus.

*De clausura religiosorum.*

1º Religiosi in claustris seu in conventu viventes ad quamdam tenentur clausuram, ut ex variis juris capitibus constat, et præsertim ex constitutionibus S. Pii V *Regularium personarum*, diei 24 octobris 1556, et Gregorii XIII *Ubi gratia*, diei 18 junii 1575; sed eadem non est pro iis clausura ac pro monialibus, ut omnes factentur. Hinc 1º ingressus virorum in claustra religiosorum nulla lege prohibetur; 2º idem locus potest esse simul intra clausuram pro religiosis, et extra pro mulieribus, ut ecclesia, chorus, sacristia, locutorium, in quibus mulieres reperiendi queunt cum religiosis; 3º egressus e monasterio prohibetur quidem religiosis, potius usu et consuetudine aut virtute obedientiae, quam jure expresso; sed, ex licentia superioris monasterii pro arbitrio ejus concedenda, egrediuntur, munia ecclesiastica exercent, itinera faciunt, etc.

2º Attamen egressus sine licentia est de natura sua peccatum mortale, propter grave obedientiae vinculum: fit autem veniale ex levitate materiae, si nempe sit in die et ad breve tempus.

3º Ex constitutionibus S. Pii V et Greg. XIII citatis, ingressus mulierum intra religiosorum claustra, exceptis imperatricibus, reginis et aliis quibusdam, prohibebatur sub pena excommunicationis ipso facto incurriende, in Galliis probabiliter non recepta, et religiosi eas introducentes, vel intrare permittentes, officiis privati, ad alia obtinenda inhabiles, et a divinis ipso facto suspensi declarabantur. Bened. XIV, per const. *Regularis disciplinae*, diei 1 januarii 1742, omnes prædecessorum suorum constitutiones sub eisdem censuris et penis confirmavit, quæcumque privilegia revocavit, superioribus, prælatis et quibuscumque personis ecclesiasticis, etiam S. R. E. cardinalibus, interdixit facultate concedendi quibusvis feminis licentiam septa religiosorum ingrediendi, sub quolibet pretextu. Solas excipit nobiles feminas quarum majores, aut pro tempore existentes de familia, monaste-

rii fuissent fundatores aut insignes benefactores, ac consanguineas et affines domini temporalis in cuius territorio situm est monasterium, modo litteras habeant Apostolicas, easque in forma authentica antistiti ordinario exhibeant; idque non vagandi, otiandi, comedendi, coenandi, per ambulacra, cubicula, coenacula aliaque loca et officinas discurrendi causa, sed ad ecclesias accedendi et pietatis officia exercendi gratia fiat.

4º Multi, inter quos *Suarez*, *Pellizarius* et *Billuart*, contendunt puellas usum rationis nondum habentes, id est septennio minores, sub prohibitione non comprehendi, quia præcepti sunt incapaces et ad peccatum excitare non valent. Sed alii non minus docti contrariam sententiam tuentur, dicentes constitutiones supradictas nullas excipere mulieres, et poenas decretas non cadere quidem in puellas usu rationis carentes, sed in religiosos eas introducentes.

5º Nomine conventus non intelligitur domus privata, in qua unus vel alter habitat religiosus; neque domus in qua resident religiosi dum monasterium ædificatur, nisi muro vel sepe esset circumclusa, et conventus judicaretur constitutus; neque hospitia, prioratus aliaque loca in quibus divinum officium communiter non celebratur.

6º Sola violatio clausuræ necessariae vel etiam arbitriæ, strictæ, ut superius explicata fuit, sub censuris aliisque poenis prohibetur. Unde non comprehenditur sub ea denominatione clausura minus stricta, ad quam pertinere communiter censentur domus et officina exteriores, hor-tus, pomaria et deambulacra a conventu per murum separata et ad quæ patet aditus aliter quam per claustrum. Ita *Billuart*, t. 12, plures citans summos Pontifices.

Cæterum, ut diximus, episcopi aut superioris generalis est omne dubium tollere, determinando quæ loca ad clausuram strictam vel minus strictam pertineant.

*Punctum tertium, — De accessione ad monasterium monialium et locutione cum illis.*

1º Accessus ad monasteria monialium, sine rationabili

causa, stricte omnibus prohibetur, clericis sub poena suspensionis, et laicis sub poena excommunicationis, Decretal. I. 3, tit. 1, cap. 8; Sexto, lib. 3, tit. 36, cap. unico, *Periculoso*. Caput *Periculoso* est ipsamet Bonifacii VIII constitutio quam concil. Trid., sess. 25, cap. 3, de Reg., renovat, et in qua expresse habetur, ut nulli dishonestæ vel honestæ personæ ingressus vel accessus ad easdem (moniales) pateat, nisi rationabilis et manifesta existat causa, et obtenta fuerit specialis licentia ab eo ad quem pertinuerit eam concedere. Unde *Suarez*, *Pellizarius*, *Ferraris*, *S. Ligorius* aliique auctores inferunt accidentes ad moniales, sine rationabili causa et debita licentia, ad colloquendum cum illis, vel cum una ex illis, mortaliter peccare. Quia tamen in capite Decretalium citato dicitur: *Si quis monasteria sanctimonialium frequentare presumperit*, concludunt eos qui, seclusis gravi contemptu et notabili scandalo, semel aut iterum ad moniales accederent sine rationabili causa et debita licentia, venialiter tantum peccatueros, quia non est frequentatio.

2º Patres et matres, fratres et sorores monialium non comprehenduntur in prohibitione, ut constat ex pluribus Congregationum concil. et episc. decretis: cum suis ergo filiis et sororibus semel tantum in hebdomada, sine licentia, colloqui possunt, diebus non prohibitibus, id est, extra Adventum, Quadragesimam et dies dominicas. Sic expresse habet Cong. episc. et reg. diei 20 sept. 1593. Excipitur tamen casus in quo constitutionibus monasterii vel ex speciali decreto episcopi, prohiberentur ipsi parentes et consanguinei seu affines in secundo gradu, et tunc, nisi aliud obstaret, deberent obtainere licentiam, ad annum, loquendi semel in mense cum monialibus sibi in primo et secundo gradu conjunctis, ex decisione Cong. episc. et reg. diei 10 feb. 1599.

3º Nunquam regulares moniales aut alias feminas intra clausuram degentes alloqui possunt sine licentia episcopi, et episcopus eis concedere non potest licentiam, nisi mulieres ipsis in primo vel in secundo gradu sint conjunctæ, et ea conditione ut quater tantum in anno, die et hora

determinatis, cum illis loquantur, extra Adventum, Quadragesimam, feriam sextam, sabbatum et dies festos : quæ licentia scripto danda est et subscribenda a superiore regulari pro monialibus sub regularium regimaine existentibus, nec non registrari et consignari a confessario, qui cum auscultatricibus assistere debet. Ita expresse Cong. episc. et reg. in decreto diei 19 nov. 1623, jussu Urbani VIII edito, et reformativo alterius decreti auctoritate Sixti V editi et licentiam ejusdem congregationis exigentis.

Hinc auctores supra citati multos resolvunt casus in quibus regulares cum monialibus colloquentes excommunicationem aliasque pœnas incurunt.

4º Bened. XIV, const. *Gravissimo*, diei 31 octobris 1749, constitutiones prædecessorum suorum et decreta Congregationum renovans ac confirmans, stricte prohibuit omnibus etiam episcopis, in aliena dioecesi existentibus, monasteria adire et moniales alloqui sine licentia ordinarii, cui monialium custodia jure ordinario committitur, si monasteria sint exempta. Hæc constitutio ad archiepiscopos et episcopos status ecclesiastici tantum dirigitur.

5º Tota disciplina circa aditum ad moniales et collocutionem cum illis non videtur recepta in Gallia, vel contrario usu fuit abolita aut reformata ; nullib[us] enim, quantum judicare possumus, servantur regulæ quarum breve tantum exposuimus compendium, et in plerisque monialium nostrarum constitutionibus a sede Apostolica approbatis, v. g., in constitutionibus monialium sanctæ Ursulæ, a Paulo V; monialium Visitationis B. Mariae, ab Urbano VIII; Hospitaliarum Misericordiæ Jesu, ab Alexandro VII; Benedictinarum Adorationis perpetuæ, a Clemente XI approbatis, ea statuuntur quæ ad locutionem cum extraneis respiciunt, et nulla fit mentio licentiæ ab ordinario nec a quocumque obtinendæ, nisi a superiorissa monasterii. Nisi ergo diœcesanus episcopus aliquid specialiter statuat circa hoc punctum, consuetudini apud nos universaliter receptæ tuta conscientia stare possumus.

6º Curandum est ut locutoria recte sint disposita, crates ex ferreis aut saltem ex ligneis regulis fortibus super se in

forma crucis applicatis, tam parvas exhibentes aperturas ut nec manus transmitti vel porrigi possit. Velum semper interponi debet, ut moniales audiri et audire possint, non vero videri; nisi aliter in propriis constitutionibus ordinis permisum fuerit. Ordinarie permittitur in Gallia ut velum deducatur quando colloquentes sunt consanguinei proximi, aut personæ quibus reverentia debetur.

Punctum quartum.— *De confessariis monialium ordinariis et extraordinariis.*

1º Nullus, quantumvis doctus et sanctus, moniales in claustru viventes et solemniter professas audire et valide absolvere potest, nisi ad id idoneus ab episcopo judicatus fuerit et specialem obtinuerit approbationem, ut probavimus in Tractatu de *Pœnitentia*. Ne excipiuntur quidem regulares, respectu monialium sibi subditarum : eligi et deputari possunt a suis respectivis superioribus; sed Gregorii XV, const. *Inscrutabili*, expresse statuit eos, sicut sæculares, ab episcopo diœcesano judicandos esse idoneos, et approbationem obtinere teneri. Unde, ex constitutionibus Gregorii XV et Clementis X, et ex variis Cong. concilii decisionibus apud *Ferraris*, vº *Moniales*, art. 3, n. 7, relatis, constat 1º confessiones monialium regularibus subditarum auditas ab eis sine approbatione episcopi esse nullas ; 2º superiores regularium etiam generales eadem indigere approbatione sub pœna nullitatis ; 3º regulares ab episcopo generaliter approbatos ad audiendas sæcularium confessiones, non ideo moniales valide absolvere posse, etiam tempore Jubilæi ; 4º approbatos pro monialibus unius monasterii, non censeri approbatos pro monialibus alterius monasterii ; 5º semel approbatos non censeri approbatos pro semper, et ideo si munus ipsis commissum sit ad tempus vel revocatum fuerit, nova indigere approbatione ut iterum moniales audiant.

2º Episcopus potest, ex justa causa, admonere superiores regularium, v. g., abbatem Portus-Salutis in nostra diœcesi, ut confessarios ad audiendas confessiones mo-

nialium sibi subditarum deputatos amoveat, aliosque eligit; et si non faciat, potest ipse eos amovere quoties et quando opus esse judicaverit, ut dicit Greg. XV, in bulla *Inscrutabili*; nec causam sic agendi superiori regularium significare tenetur, ut decrevit Cong. concil. in responsione ad duodecimum ex dubiis circa const. *Inscrutabili* resolutis, approbante ipso Gregorio XV, et Urbano VIII qui has responsiones typis mandari jussit, anno 1623.

3º Ex pluribus Cong. episc. et regul. decretis, confessarius monialium eligi non potest ab ipsis monialibus, sed ab episcopo pro monasteriis sibi subjectis, et, pro monasteriis exemptis, a superiore regularium quibus subjiciuntur. In specialibus quorundam ordinum constitutionibus, moniales habent facultatem eligendi confessarium ordinarium monasterii; sed electus indiget approbatione episcopi, qui eam pro arbitrio denegare potest, et rationem denegationis manifestare non tenetur.

4º Notat *Ferraris*, plurima Cong. episc. et reg. decreta referens, vº *Moniales*, art. 5, n. 19 et seq., confessarios monialium vicarios generales esse non posse, neque parochos, et electos approbari non posse nisi pro triennio, quo elapsio, si confessiones monialium in eodem monasterio audirent absque licentia S. Cong. episc., ab audiendis confessionibus essent suspensi: dispensatio S. Cong. ad novum triennium tantum valere potest; iterum petenda esset ad tertium, et sic deinceps. Sed hujusmodi restrictiones apud nos non existunt: episcopi solent approbare, pro audiendis monialium confessionibus, regulares aut sacerulares sacerdotes, liberos aut curam animarum jam habentes, prout expedire sibi videtur, et approbatio valet usque dum verbis aut facto revocetur.

5º Cong. episc. et reg. statuit, die 2 maii 1617 et 7 iunii 1620, confessarios monialium in aetate supra quadraginta annos esse debere; et in epistola encyclica diei 16 martii 1703, de mandato Clementis XI, ad omnes ordinarios Italiae et insularum adjacentium directa, dicitur confessarios monialium debere esse aetate proiectos, prudentes, zelantes et vita exemplari conspicuos. In Gallia autem

episcopi determinatam non requirunt aetatem, bene vero doctrinam, pietatem, vitae sanctitatem, prudentiam, gravitatem, etc.

6º Confessarius monialium nulla indiget licentia ut septa claustrum ingrediatur pro necessitatibus sui officii, nempe ad audiendas confessiones agricoltorum et administranda Eucharistiae et Extremae-unctionis sacramenta; non vero ingredi posset ad audiendam confessionem infirmæ quando ad confessionarium accedere potest, neque sub praetextu comitandi medicos, chirurgos, operarios, etc., nec ad conspendum cellas monialium aqua benedicta quolibet anni tempore, nec ad missam in capella interiori celebrandam, nec ad colligendam formulam consecratam si adeset monialis communicanda quæ genuflexa eam reverenter sumere posset, etc.

7º S. Cong. episc. et reg. decrevit, die 26 martii 1590, 22 decemb. 1602 et 29 januarii 1627, confessarium ex quacumque necessitate septa monialium intrantem, semper cotta, seu superpelliceo et stola indutum esse debere, et non aliter ipsi licitum esse intrare.

8º Eadem sacra Cong. plures definiit eum propter necessitatem intratum, per alia monasterii loca divagari non posse, ne occasione quidem visitandi infirmas quibus administratio sacramentorum non est necessaria. Probabilius tamen excommunicationem non incurreret, quia licite ingressus esset, sed illicite facultate ingrediendi uteretur.

9º Stricte eadem Cong. prohibuit ne confessarius clausuram monialium ingrederetur ad sepiendiendas moniales defunctas vel pro celebrandis earum exequiis, atque declaravit, die 20 augusti 1596, eum secus agentem excommunicationem violatae clausuræ incursum: vult ergo ut exequiarum ritus ad cratem chori impleantur, et moniales postea cadavera in tumulos deponant. Verum mos apud nos viget et in plerisque monialium nostrarum constitutionibus aut Ritualibus conscribitur, ut parochus, vel confessarius, cum aliis quibusdam viris ecclesiasticis ingrediantur, et consuetas exequiarum ceremonias super tumulum faciat. Mos iste licite servatur, sed cavendum ne plures

quam permisum est ingrediantur personæ et per alia loca divagentur.

10º Statuit insuper dicta S. Cong. 1º ut, dum confessarius audit confessionem monialis infirmæ, janua cellæ maneat aperta et ambæ comitatrices juxta eam morentur, ita ut confessarius et infirma commode ab eis videri possint; 2º ut, aliqua moniali in extremis laborante, confessarius de nocte intrare possit; 3º ut, deficiente confessario proprio, alias quilibet sacerdos prope monasterium existens vel casu pertransiens, etsi pro monialibus non approbatus statim, sine expressa licentia, clausuram ingredi possit et beneficium absolutionis ac Extremæ-unctionis tali moribundæ conferat (hæc decisio, quæ certa est, per argumentum eruitur, sed in decretis Cong. non est expressa); 4º ut confessarius non ingrediatur sine socio qui ei assistat, et sit ætatis ultra quinquaginta annos et vitae exemplaris. Apud nos ingreditur sine socio ad audiendam confessionem; ad conferenda Eucharistiæ et Extremæ-unctionis sacramenta, intrat cum socio seu respondentे ætatis infra quinquaginta annos, modo exemplaris sit vita.

11º Insuper juxta varias ejusdem Cong. decisiones, habitatio confessarii debet esse vicina monasterii, ab eo tamen disjuncta, non solum per parietes, sed per tecta: sic etiam præscribit Alexander VII, in const. *Felici*, diei 10 octobris 1664, loquens de regularibus qui eliguntur pro confessariis monialium sui ordinis nimis distantium ut in conventum cum suis fratribus manere possint. Item Cong. concil. definit, die 10 sept. 1722, quod monialium confessarii habitare non debeant in atriis monasteriorum muro circumvallatis, contiguam habentibus portam quæ clauditur. Sæpe tamen episcopi permittunt ut confessarii habeant mansionem monasterio contiguam, modo nulla existat via ad moniales pervenienti aut cum illis loquendi.

12º Ex declaratione S. Cong. concil. diei 29 nov. 1605, sedes confessionalis ad excipiendas monialium confessiones collocari non debet in sacristia, nec in alio loco occulto, sed in ipsa exteriori ecclesia; quod apud nos servari

non solet. Insuper stricte prohibetur ne confessionale convertatur in locutorium; et generatim caveat confessarius a colloquiis cum monialibus, absque necessitate eas non adeat in locutoriis, et in superflua verba aut scripta nunquam effluat.

13º Annua retributio sustentationi ejus sufficiens constitutatur, et episcopus sub aliquibus poenis, non tamen censurarum, prohibeat ne aliquid, præter hanc retributionem, communiter vel privatim ei tribuatur, aut ipse aliquid a monialibus sponte oblatum accipiat. Ita *Ferraris*, vº *Moniales*, art. 5, n. 70, plura Cong. episc. et regul. decreta referens. Verum supponit confessarium esse regularem.

14º Eadem Cong. plures declaravit quod monialium confessarii, supponens etiam eos esse regulares, nullo modo possint comedere, refici aut cibum sumere in eorum monasteriis vel in locis ubi sunt crates vel rotæ in monasterium respondentes, vel in locis adeo vicinis ut a monialibus possint videri vel audiri, neque ante portam clausuræ; sed tantum in ædibus vicinis refectionem diurnam sumant diebus generalium confessionum. Hæc pariter apud nos stricte non servantur, saltem ubi confessarii sunt sæculares.

#### *De confessario extraordinario.*

« 1º Præter ordinarium confessorem, alius extraordinarius ab episcopo et ab aliis superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debet. » Sunt verba concilii Trid., sess. 25, cap. 10, de Regul. Vide quæ diximus in Tractatu de Pœnitentia.

2º Non tantum monialibus propriæ dictis et in claustro viventibus, sed aliis quibuscumque mulieribus vel pueris, sive regularibus, sive sæcularibus, in communitate degentibus, offerendi sunt confessarii extraordinarii, ut fuse ostendit Bened. XIV in const. *Pastoralis curæ*, diei 5 aug. 1748.

3º Concilium Trid. non vetat plures offerre confessarios extraordinarios, aut pluribus quam duabus vel tribus

vicibus; nec tempus anni determinat. Consuetudo sat universaliter recepta est ut plures sint confessarii extraordinarii in singulis monasteriis, et in unoquoque trimestri circa quatuor tempora, offerantur.

4º Nullum est praeceptum quo moniales peccata sua confessario extraordinariо sacramentaliter confiteri teneantur: sed, ex concilii Trid. decreto, ex const. Bened. XIV modo citata et ex communī doctorum sensu, omnes coram illo se sistere tenentur, ut quae ministerio ejus indigent, eum adire non vereantur. Bened. XIV, in const. citata, vult ut non solum moniales, sed novitiae et sacerdtales quae educationis causa aliove titulo in eodem monasterio commorantur, ad confessarium extraordinarium accedant, sive ad sacramentalem confessionem apud ipsum agendam, si placuerit, sive ad salutaria monita ab eo accipienda: item in piis aliarum mulierum et puellarum, sive claustralium, sive non claustralium, coetibus; et testatur se olim, in sua civitate et dioecesi Bononiensi, hanc instituisse regulam et uberem spiritualium utilitatum messem inde evidenter collegisse.

5º Moniales, justa allegata causa, recusare possunt confessarium ordinarium, et aliū petere; quia assimilantur populo qui, ex justa causa, parochum recusare potest, ut ex Sexto, l. 2, tit. 6, cap. 4, evidenter eruitur, et docent auctores: sed confessarium extraordinarium sine causa recusare possent, inquit *Ferraris*, vº *Moniales*, art. 5, n. 35, quia talis confessarius in earum gratiam fuit inductus, et unusquisque, sine causa, juri suo renuntiare potest. At difficile est ut omnes spontanee juri suo sic renuntient, ac consequenter episcopus eis proponere debet confessarios fiducia illarum dignos, et exigere ut omnes singulis vicibus uni vel alteri se presentent.

6º Romæ praecipitur confessariis ordinariis, sub pena privationis vocis activæ et passivæ, si regulares sint, et privationis officii si sint sacerdtales, ut, tempore deputationis confessariorum extraordinariorum, ad monasteria eorum non accedant: quod ubique fieri expedit, ut omnes unum e confessariis extraordinariis adire determinentur.

7º S. Cong. episc. et regul. decrevit, die 27 maii 1603 et 27 aprilis 1627, confessarium extraordinarium nunquam dandum esse pro moniali particulari neque in perpetuum neque ad tempus; experientia enim constat bono regimini communitatis expedire ut idem pro omnibus sit confessarius ordinarius. Potest tamen episcopus, ex aliqua rationabili causa, concedere extraordinarium moniali particulari, puta, in articulo mortis; nam, in tali periculo, saluti animarum omnibus mediis succurrendum est: imo, si aliqua monialis, extra hunc casum, confessarium ab ordinario diversum sibi pro aliquo tempore postulet, non ipsi denegandus est, inquit *Ferraris*, art. 5, n. 82; et si regularis superior annuere noluerit, episcopus petitioni ejus satisfacere poterit, sive per regularem alterius ordinis sive per sacerdotalem. Item si superior regularis, saltem semel in anno, confessarium extraordinarium, vel alterius ordinis, vel sacerdotalem, monialibus sibi subjectis non offerat, electio in eo casu ad episcopum devolvitur: episcopus potest similiter dare monialibus exemptis, in sua dioecesi existentibus, confessarium sacerdotalem aut regularem alterius ordinis, si nulla ratione adduci possint ad confitenda peccata sua regularibus sui ordinis, vel si proprius praefatus confessarium eis injuste deneget, aut extraordinarium eis offerre negligat. Ita *Ferraris*, art. 5, n. 3, plures S. Cong. episc. et regul. decisiones referens.

8º Maxime expedit ut confessarii, tam ordinarii quam extraordinarii, sive sacerdotales sive regulares, expleto suo ministerio, ad moniales non accedant ob motivum directionis conscientiae aut spiritualis conferentiae, neque ullam habeant correspondentiam etiam per litteras cum aliqua moniali ibi inclusa, cum novitia educanda aut alia qualunque muliere ibi degente. Hoc expresse prohibitum fuit Romæ pro omnibus monasteriis urbis, per edictum diei 12 decembris 1708.

9º Confessarius extraordinarius ejusdem aetatis, gravitatis et qualitatis esse debet ac confessarius ordinarius; nullum habet privilegium ad moniales accedendi, eas alloquendi, septa earum ingrediendi; earumdem constitu-

tiones et regulas cognoscere debet, sicut confessarius ordinarius, et prudenter invigilare ne agendi rationem confessarii ordinarii condemnare, reprehendere aut reformare videatur, nisi forte gravissima ratio id suaderet.

Punctum quintum. — *De monialium superioribus.*

1º Ubi sunt regulares et moniales ejusdem ordinis, superior regularium est etiam superior monialium, easque spiritualiter regit; confessarios ordinarios et extraordinarios inter fratres suos elit, sed approbationem ab episcopo petit; monasteria per seipsum visitat, non per alium, etiamsi legitime sit impeditus; quo in casu visitatio in aliud tempus remittitur. Votorum, clausuræ, constitutionum et regularum observationi tenetur invigilare.

2º Prælati regulares, extra necessitatem, monasteria monialium sibi subditarum ingredientes, majori subjacent excommunicationi et omnibus officiis ac dignitatibus privantur, ex const. *Gregorii XIII Dubiis*, diei 23 decembris 1581.

3º Clastra igitur monialium ordinarie ingredi non possunt, nisi ex causa visitationis, quæ semel tantum in anno fieri potest, cum debita quidem diligentia, sed tamen celeriter et unica die, inter ortum et occasum solis, absolvatur. Si quis prælatus regularis pluries in anno septa monialium etiam exemptarum sibi subditarum ingredi debeat, ob clausuram aliquam gravem causam, id non faciat nisi in praesentia episcopi dicæsanæ vel alterius personæ ecclesiastice sæcularis, boni exempli, ab episcopo deputata. Ita Alexander VII, const. *Felici*, diei 10 octobris 1664, ubi statuit, § 1, quod in anno in quo unus ex superioribus ordinis monasterium visitavit, alter illud visitare non possit.

4º Si visitator fuerit generalis ordinis, duos secum introducere poterit socios sui ordinis; si fuerit alius a generali, unum tantum sui ordinis introducere poterit. Nec ipse visitator nec socii ejus ullam refectionem sumere possunt intra clausuram; et superior qui supradictis contra fecerit, ipso facto erit excommunicatus, omnibus officiis privatus,

ad nova obtainenda inhabilis, etc. Hæc habentur expresse in bulla *Felici* citata.

5º Prælatus regularis moniales suo regimini subjectas audire in confessione non potest sine approbatione episcopi, et pro ingressu in monasterium, vel egressu monialium, ob legitimam causam, licentia ipsius sine consensu episcopi non sufficit, ut supra diximus, ubi de clausura, n. 9 et 16. Visitatio personalis monialium ad cratem fieri debet, sine ulla clausuræ violatione, et per ipsum prælatum duntaxat, nunquam vero per alium, ut in const. *Felici* totis verbis exprimitur.

6º Episcopus clausuram et monasteria monialium exemplarum visitare potest, tanquam sedis Apostolicæ delegatus, etiam inconsulitis et irrequisitis superioribus earum regularibus, virtute concil. Trid., sess. 25, cap. 5, de Reg., et sic expresse definit Cong. concil. die 26 maii 1640. Eadem Cong. plura resolvens dubia statuit, die 10 januarii 1686, 1º episcopum clausuram monialium regularibus subjectarum visitaturum, eis præfinire non teneri diem et horam visitationis; non habere jus visitandi sanctissimum Sacramentum, oleum infirmorum, confessionalia, loca sepulchrae, etc., nisi in his quæ observantiam clausuræ concernunt; 3º eum in casibus necessariis tantum monasterium ingredi posse, et a paucis iisque senioribus ac religiosis personis comitatum; 4º moniales in choro interiori convocare et ad eas sermonem habere posse.

7º Bened. XIV, de Synodo diœces., l. 5, cap. 12, n. 4, citans constitutionem Greg. XIV, docet et affirmat episcopum una cum prælatis regularibus interesse et præsidere posse electioni abbatissæ quæ monasterio regularibus subiecto præficienda est, ac consequenter regulares teneri denuntiare episcopo futuram abbatissæ electionem; et si episcopus dixerit se per se vel per alium electioni præsidiere velle, eos teneri adventum ejus usque ad tempus præfinitum exspectare.

8º Episcopi et ipsi cardinales clausuram monialium etiam sibi subditarum ingredi non possunt, nisi in casibus necessariis, et comitati a paucis iisque senioribus ac reli-

giosis personis : qui contra fecerint, incurront prima vice interdictum ab ingressu ecclesiæ; pro secunda, suspensionem a pontificali munere; pro tertia et deinceps, excommunicationem majorem ipso facto. Ita Greg. XIII in ci-tata const. *Dubitis.*

9º Ex prædictis verbis, ac religiosis personis, et decisione Cong. episc. et reg. diei 22 maii 1615, concludunt auto-res episcopum tempore visitationis secum ducere non posse laicos ut comites et socios, quia sui aut alicujus monialis sunt amici et monasterium videre cupiunt. Eos tamen introducere posset quorum consilio vel auxilio indigeret ad monasterii utilitatem, v. g., architectum, cæmentarium, etc. Vide *Ferraris*, verbo *Episcopus*, art. 6, n. 100 et seq.

10º *Fagnanus*, *Ferraris* et alii contendunt ac variis tex-tibus probant episcopum, moniales visitaudo, plus quam octo personas qualitates requisitas habentes secum intra clausuram ducere non posse, et secus prædictas censuras incurrere. Absolutio tamen ab istis censuris non reserva-tur Papæ.

11º Episcopi est puellas ad habitum receptas, novicias, ante professionem explorare per se vel per deputatum, et voluntatem earum diligenter exquirere, « an unaquæque » coacta, an seducta sit, an sciat quid agat; et si voluntas » ejus pia ac libera cognita fuerit, habueritque conditio-nes requisitas juxta monasterii illius et ordinis regulam, » nec non monasterium fuerit idoneum, libere ei profiteri » liceat. » Sunt verba concil. Trid., sess. 25, cap. 17, de Regul. Vide *Ferraris*, verbo *Moniales*, art. 1, n. 66, 92 et seq. Hanc explorationem facere debet episcopus etiam in monasteriis regularibus subjectis, ut Cong. concil. saepius declaravit; sed monitus, eam ultra quindecim dies differre non potest, alioquin regulares ad admissionem professio-nis procedere possent, ut habetur in const. S. Pii V, incipiente *Etsi Mendicantium*, § 6, in qua etiam striete inhibetur ne hac occasione episcopus aut ejus vicarius septa monialium ingrediatur, sed ante cratem ferream stet, et alias interrogaciones quam eas a concilio Trident. jussas ne faciat; et expresse statuitur a S. Pontifice puellas

vel novitas ad alias interrogaciones respondere non teneri.

Defectus explorationis admissionem ad habitum et pro-fessionem non annullat, ut docent *Barbosa*, *Fagnanus*, *Ferraris* aliique plures, et S. Cong. concil. declaravit, die 21 sept. et 22 nov. 1593.

12º In monasteriis non exemptis abbatissa vel superio-rissa, seu monasterio præfecta, ut ait concil. Trid., tenetur, ante mensem, certiorem facere episcopum professionis a novitia emittendæ, alioquin arbitrio episcopi posset sus-pendi. Idem concil. ibid.

13º Cum episcopi sæpe nou possint per seipso moniales sua diœcesis spiritualiter regere, singulis monasteriis ali-quem præficiunt sub titulo superioris vel patris spiritualis, qui eadem potest ac episcopus cuius est deputatus, et alterum subdelegare potest pro actibus particularibus, v. g., pro examine postulantum et novitarum, pro impositione habitus et susceptione votorum, etc. Annuam tamen visi-tationem per alium dictus superior facere non potest, nec computa monasterii examinare, sed tantum per seipsum. Item, si non sit vicarius generalis, confessarios ordinarios aut extraordinarios approbare non potest, nisi episco-pus hanc specialem expresse ei concederit facultatem; sed potest ipse, pro libitu, monialium confessiones audire.

Idem sacerdos potest esse superior plurium monaste-riorum.

14º Præcipua illius obligatio est invigilandi ut discipli-na monastica accurate servetur, pax, pietas et fervor semper accrescant; ut non admittantur puellæ aut novitiae quæ requisitas non haberent qualitates; ut ordinarius confessorius et extraordinarii ad hoc ministerii genus idonei præficiantur, et munere suo recte fungantur, ut res tem-porales monasterii debita sollicitudine et prudenti modo curentur, et futura ejus existentia, quantum fieri potest, assecuretur, etc. Necesse est ergo ut constitutiones et re-gulas apprime noscat, cunctas moniales ante visitationem separatim audiat ad cratem, et, si opus fuerit, mandata scripto tradat tum ad nascentes reformandos abusus, tum ad eos præcavendos, etc.

Punctum sextum. — *De monialium obligationibus.*

1º Pro iis quæ ad vota religionis essentialia et clausuram attinent, relegendantur quæ supra diximus.

2º Pro officio pariter videantur quæ dicta sunt ubi de effectibus professionis religiosæ. Notandum est tantum conversas, si ipsis, ut communiter, propria regula quædam preces imponantur, ad illas teneñi sicut ad alia regulæ præcepta, id est, ad summum sub veniali.

3º Si reperiantur moniales choristæ quæ, propter imperitiam in legendō, chorum sequi non possint, suæ obligatiōni satisfaciunt dicendo officium laicarum seu sororum conversarum, donec, iudicio prælati, confessarii vel abbatissæ sat expedite legere didicerint. Sic Clemens VII concessit Clarissim, et Innocentius IV monialibus sub cura Fratrum Minorum degentibus, et, per communicationem, cunctis monialibus, ut videre est apud *Pellizarium*, t. 2, et *Ferraris*, art. 6, n. 4. Eo gaudent privilegio quoties, ex rationabili causa, horas canonicas recitare non possunt, v. g., ob agitationem ex scrupulis, ob capitis defatigacionem, ob extraordinarium laborem vel nimiam occupacionem. Sic, ex bulla Innocentii IV, inferunt doctores.

4º Moniales, recitaudo *Confiteor*, nihil mutare possunt, neque dicere debent, *tibi, mater, vobis, sorores*, sed ut in Breviario, *ubi, pater et vobis, fratres*, ut decrevit Congr. rituum, die 18 aug. 1629.

5º Moniales, ex Clement. l. 3, tit. 14, cap. 1, § Sane, et ex concil. Trid., sess. 25, cap. 10, de Reg., debent, saltem semel singulis mensibus, confessionem peccatorum facere et sacrosanctam Eucharistiam suscipere.

6º An teneantur ad hanc menstruam confessionem et communionem sub peccato mortali, an vero sub veniali, non sibi consentiunt doctores: plures affirmant; alii vero negant, ut videre est apud *Ferraris*, verbo *Moniales*, art. 6, n. 10. Pars tutior ideo est eligenda. Imo satagendum est ut propriæ uniuscujusque ordinis serventur constitutions, in quibus præcipitur confessio saltem pro singulis

hebdomadis, et communio omnibus diebus dominicis ac festis de præcepto, aliquæ diebus non paucis.

7º Moniales in speciali puritate mentis existentes, et ferventiori spiritu pollentes a superioribus vel confessariis etiam ad communionem quotidianam admitti possunt, ut fert decretum S. Cong., concil. diei 22 feb. 1679, ab Innocentio XI approbatum. Semper tamen excienda est feria sexta in Parasceve.

8º In sodalitatibus S. Rosarii, Chordæ, Cincturæ et in aliis hujusmodi se adscribi facere nequeunt, ut S. Cong. episc. et reg. definit, die 27 octob. 1593.

9º Eadem Cong. statuit, die 21 maii 1615, moniales nunquam debere associatas esse in lecto, sed, ex aliis decretis, separatas habendas esse cellas, ratione ætatis a professione incipiendæ distribuendas, nisi in aliquo monasterio adsit consuetudo immemorabilis quod cellæ vacantes assignentur ad arbitrium abbatissæ seu superiорissæ et discretarum. Nulli conceditur facultas de cellis suis post obitum disponendi, etc. *Ferraris*, verbo *Moniales*, art. 6, n. 47 et seq.

Quædam tamen sunt monasteria in quibus moniales commune habent dormitorium.

Punctum septimum. — *De puellis apud moniales educandis et aliis mulieribus apud eas recipiendis.*

1º S. episc. et reg. Cong. plures, et in primis die 31 aug. 1575, declaravit nullo concilii decreto prohiberi quomodo puellæ in monasteriis monialium educentur, et quotidiana praxis hoc licitum esse demonstrat: sed eadem S. Cong. plures apponit conditiones, videlicet, 1º quod monasterium hujusmodi puellas ad educationem recipere conssuerit, licet forte hic et nunc nullam habeat; 2º ut puellæ sic receptæ habitent in loco a dormitorio monialium ac novitarum, nec non a loco in quo ipsæ moniales manualibus exercitiis vacare solent separato; 3º ut puellæ non recipiantur, nisi de expressa sacræ Cong. episc. et reg. licentia; quæ conditio in Gallia non admittitur; 4º de

consensu monialium per suffragia secreta; hæc etiam conditio non ita apud nos admittitur; 5º ut quælibet puella suum habeat lectum separatum; 6º ut sit sola et non habeat ancillam; 7º ut puellæ educandæ induantur vestitu virginali, modestiæ et pudicitiae convenienti; 8º ut septimum annum expleverint et majores viginti quinque annis non sint, quod apud nos non servatur; 9º ut ad clausuram, sicut moniales, teneantur, et egressæ ad monasterium redire nequeant, nisi religiosam vitam amplecti velint. Hæc omnia judicio episcopi vel superioris ab episcopo deputati in Gallia submittuntur.

2º Puellæ intra monasterium degentes, si matrimonium contrahere velint, non prohibeantur; sed extra clausuram sponsalia ineant, in eam amplius non reddituræ sine licentia speciali. Cong. episc. et reg., die 15 feb. 1585.

3º Mulieres nuptæ in monasterium recipi non debent, etiam cum licentia episcopi, juxta multos doctores, sed requiritur S. Cong. dispensatio. Hæc pariter dispositio non recipitur in Gallia.

4º Ancillæ sæculares de licentia superiorum introduci possunt in monasteria, causa inserviendi monialibus, si desint conversæ aut sint infirmæ, modo sint honestæ vitæ, in servitium omnium monialium, et pro libitu suo non egriantur e monasterio, ut communiter docetur.

### CAPUT TERTIUM.

#### DE TERTIO DECALOGI PRÆCEPTO.

Hoc præceptum in Exod. xx, 8 et seq. exprimitur his verbis: *Memento ut diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis et facies omnia opera tua. Septimo autem die sabbatum Domini est, etc.*

Dicemus 1º de natura et obligatione hujus præcepti; 2º de iis quæ prohibentur; 3º de iis quæ præcipiuntur.

#### ARTICULUS PRIMUS.

##### DE NATURA ET OBLIGATIONE TERTII PRÆCEPTI.

1º Sabbatum, juxta vim nominis, significat requiem vel cessationem, et sic ultima dies hebdomadæ vocata est, quia Deus compleverat die septimo opus suum quod fecerat, et requievit die septimo ab universo opere quod patraret, Gen. ii, 2. Sumitur etiam, in stylo hebræo, pro ipsa hebdomada, et eo sensu dicitur prima sabbati, una sabbati, pro prima die hebdomadis, seu post sabbatum.

2º Hoc præceptum est simul naturale et positivum: est naturale, quatenus natura præcipit ut aliquod tempus culti divino impendatur, et sub hoc respectu inter præcepta Decalogi ponitur: quatenus vero aliquod tempus speciale ad vacandum divinis, et in honorem requiei Dei ab opere creationis determinat, est cæremoniale, et hæc circumstantia, accedente lege Evangelica, fuit abrogata. *Ita communissime theologi.*

3º Observatio igitur diei dominicæ, quæ nova Lege sabbato fuit substituta, quoad determinationem temporis et operum, sive prohibitorum, sive præceptorum, est tantum de jure ecclesiastico. Nam, vel est de jure ecclesiastico tantum, vel de jure naturali, vel de jure divino positivo: atqui duo posteriora dici nequeunt. 1º *Non est de jure naturali;* quamvis enim ratio dictet Deum esse adorandum et aliquod tempus culti ejus esse devovendum, non præcipit tanquam essentialè quod sit integra dies, hæc potius quam illa, una e septem potius quam e decem, etc. 2º *Non de jure divino positivo.* Videmus quidem dominicam tempore Apostolorum jam loco sabbati exsistisse, Apoc. i, 10: *Fui in spiritu in die dominica;* Act. Apoc. xx, 7: *Una autem sabbati, cum convenissemus ad frangendum panem.* Una sabbati est prima dies post sabbatum, seu dies dominica ut expresse tradit S. Aug., Epist. 37, n. 28: « *Una enim sabbati tunc appellabatur, qui nunc dominicus appellatur.* » At nullibi dicitur nec indicatur hanc substitutionem factam fuisse a Christo seu jure divino posi-